

Duplex sententia est. Vna , fuisse ius concessum, tanquam bonum, non quidē simpliciter bonum; respectu Iudæorum contumacium, quos tyrannice gubernari expediebat , in perpetuā eorum pœnam & correctionem. Altera, fuisse ius prauum & illegitimum, ac malè usurpatum. Sed tamen à Samuele propositum, per modum prædictionis, non approbationis. Prædixit enim, vt si Iudæi peterent sibi Regem dari, fore, vt Rex abutatur suo iure, & redigat ipsos in seruitutem. Et hac ratione, vt ante dixi , voluit eos detergere à petendo Rege. Hæc sententia verior est , quam sequitur D. Thomas, Serarius, Azor, & Turniellus, locis supra citatis. Et iuxta hanc sententiam , nomen iuris non sumitur pro vero iure, sed pro iure vel consuetudine usurpata à Tyrannis; vt sensus sit: Reges vestri sequentur consuetudinem Tyrannorum, sedigendo vos in seruitutem, & vestra iniquè diripiendo. Quod etiam factum est à Salomone, Roboam, Achab.

4. Nota. Aliud est, Regem vti personis & bonis subditorum , quando id postulat commune bonum totius regni: Aliud, vti personis & bonis subditorum , in proprium commodum ac libidinem. Pius licet; posteriorius non licet. Et de posteriori loquitur Samuel. Vide D. Thomam ibidem.

Quæ

## QVÆSTIO X.

*An Reges Hebraeorum potuerint habere  
plures vxores?*

1. **D**icam 1. quid re ipsa factum sit. 2. quo iure factum. Primò igitur constat, aliquos Reges habuisse plures vxores. Saül habuit duas: Vnā primariam, nomine Achinoam: alteram secundariam, nomine Respha. (Quæ aliquando vocatur concubina, vt 2. Regum 3.7.) Ex priori genuit tres filios, Ionathan, Iessui, & Melchisua: & duas filias, Merob, & Michol. 1. Regum 14.49. Ex posteriore, duos filios, Armoni & Miphiboseth. 2. Regum 21.8.

2. Daud , antequam regnaret, habuit duas, nempe Achinoam Iezräëlitam , & Abigail , quæ fuerat vxor Nabal Carmeli. 1. Regum 25.39. & 43. Deinde, septem annis regnauit in Hebron, super solam tribum Iuda. 2. Reg. 2.11. Et 3. Reg. 2.11. Intra hoc septennium, præter duas supradictas vxores, accepit alias quatuor. 1. Maacha, filiam Tholmai Regis Gessur. 2. Aggith. 3. Abital. 4. Eglam. Habuit igitur sex vxores , & ex iis genuit sex filios in Hebron, singulos filios ex singulis vxoribus. 1. Amnon , primogenitum , ex Achinoa. 2. Cheleab, ex Abigail. 3. Absalonem, ex Maacha. 4. Adoniam, ex Aggith. 5. Sapphatiam, ex Abital. 6. Iethrahan, ex Eglam. 2. Reg. 3.2. & 1. Paralip. 3. 1. Postea vero, cum factus esset Rex super reliquas tribus, & habitaret in Ierusalem , duxit aliam vxorem , nempe Bersabee, ex qua natus est Salomon , qui postea suc-

Ee 2 cessit

cessit in regno. 2. Reg. 11. 27. Et haec omnes fuerunt fœcundæ. Præter has habuit unam, ex qua nullam suscepit prolem, nempe Michol, filiam Saulis Regis; quæ primò quidem fuit illi despontata à Saulle. 1. Reg. 18. 20. Deinde, rursus abducta, & alteri tradita: ibidem cap. 25. 44. Postremò, Dauidi restituta. 2. Reg. 3. 14. Fuit autem sterilis in pœnam peccati; quia illuserat Dauidi, coram Arca Domini saltanti. 2. Reg. 6. 20. & 23.

3. Salomon habuit uxores, quasi Reginas, septingentas, & concubinas trecentas, ut Scriptura loquitur 3. Reg. 11. 3. Vbi nomine concubinarum intelliguntur uxores minus principales, ut notat Serarius. Habuit igitur uxores mille, quarum septingenta dicuntur *quasi Reginæ*, quia vel regio cultu vtebantur, vel Regum ac Principum erant filiae. Mirum autem est, quod ex tanto uxorum numero, non nisi unum filium genuerit, nempe Roboam; cùmque ex matre Ammonite, ut notat Suidas, & ex eo Serarius: 3. Reg. 12. Sine dubio fuit pœna peccati, ut paulo post dicam.

4. Roboam, filius Salomonis habuit uxores octodecim, & concubinas sexaginta. Et genuit 28. filios, & 60. filias. 2. Paralip. 11. 21. Similiter Abia, filius Roboam, confortato regno suo, accepit uxores 14. Et procreauit 22. filios, & 16. filias. 2. Paralipomenon 13. 21.

5. Nunc quæstio est, An iure potuerint habere plures uxores, necne? Ratio dubitandi ex una parte, quia Polygamia ex peculiari Dei dispensatione fuit Hebreis concessa: ex altera, quia Regi speciatim fuit prohibita. Deuter. 17. versu 17. *Non habebit uxores plurimas*. Et quia Salomon transgres-

sus est hoc præceptum, ideo peccauit, & punitus est, ut colligitur ex illo 3. Reg. 11. 4. *Depravatum est cor eius per mulieres*. Respondeo. Polygamia fuit concessa populo Hebræorum, cum hac duplice limitatione. Primò, ut non alio fine, quam proliis propagandæ causa, acciperent plures uxores, ut docet D. Thom. in Suppl. quæst. 65. art. 2. & alij. Secundò, ut non acciperent uxores alienigenas, seu idololatricas, propter periculum subuersiōnis. Exod. 34. 16. & Deuter. 7. v. 3. Et hoc spectat illud citatum: *Non habebit plurimas uxores quæ alliciant animum eius*, nempe ad cultum falsorum Deorum. Itaque duplice nomine poterat quis peccare contra concessionem polygamiae. 1. Si voluptatis aut libidinis gratia plures uxores acciperet. 2. Si acciperet alienigenas seu idololatricas. Vt roque modo peccauit Salomon. 1. Quia plures accepit libidinis gratia, iuxta illud 3. Reg. 11. 2. *His itaque copulatus est Salomon amore ardentissimo*. Et in pœnam huius peccati, non habuit ex tot uxoribus & concubinis, nisi unum filium, in gratiam Dauidis, ne familia Dauidis regia deficeret. 2. Quia accepit plures alienigenas, à quibus depravatus est, & idololatra factus. (ibidem.) Et in pœnam huius peccati, scissum est regnum illius, & datum Ieroboam. 3. Reg. 11. versu 11. Verum de polygamia dicam plura inferius cap. 21.

Quæstio

Ee 3

## QVÆSTIO XI.

An Reges Hebreorum potuerint habere  
plures equos?

1. **V**identur hoc illis prohibitum esse Deut. 17.  
16. Cumq[ue] fuerit constitutus Rex, non multiplicabit sibi equos. Et ita sentiunt Haymon & Arias Montanus apud Pinedam lib. 7. de rebus Salomonis c. 14. Et probatur 1. quia in Scriptura nusquam legimus de equo regio, sed tantum de mulo, vel mula regia. 2. Reg. 13. v. 29. Omnes filii Regis ascenderant singuli mulas suas, & fugerunt. Et cap. 18. v. 9. Accidit autem, ut Absalon, (filius Regis) occurreret servus David, sedens mulo. Et 3. Reg. 1. 38. Imposuerunt Salomonem super mulam Regis David.

2. Secundò, quia Scriptura solet ferè in malam partem loqui de equis & equitibus, tanquam de rebus propriis Ægyptiorum & aliorum gentilium, vt Exodi 15. 1. *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est: equum & ascensem deiecit in mare.* Et Psal. 19. 8. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.* Et Psal. 32. 17. *Fallax equus ad salutem.* Et Psal. 75. 7. *Dormitauerunt, qui ascenderunt equos.* Et Psal. 146. 10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit.* Et Isa. 31. 1. *Va qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes.* Et infra: *Ægyptius, homo, & non Deus: & equi eorum, caro, & non spiritus.* Et Zach. 10. 15. *Confundentur ascensores eorum.* Vnde etiā Dominus exprobrat Iudeis, quod more gentilium alant equos, Isaia 2. 7. *Repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius.*

3. Te

## De Regibus veteris Testamenti. 419

3. Tertiò, idem sentiunt Patres, qui asserunt non solum Regi, sed toti Hebræorū populo prohibitum fuisse usum equorum; vt Origenes homilia 15. in Iosue, & Hieronymus in illud Psalm. 75. 7. *Dormitauerunt, qui ascenderunt equos.* Vbi sic ait: *Præceptum est in lege, ut Hebreus non habeat equos.* Et confirmari potest primo ex illo Iosue 11. 9. *Equos eorum subneruabis.* Vbi Deus mandat Iosue, vt pugnaturus contra Reges gentilium, non accipiat eorum equos, sed potius subneruet, id est, pedes & crura eorum incidat, & inutiles reddat. Quare hoc: *Quia nolebat populum Hebræorum habere equos, more gentiliū. Volebat potius debilitari & interfici, quam ab Hebræis possideri.* Secundò, ex illo Isaia 36. 8. *Dabo tibi duo millia eorum, nec posceris ex te præbere ascensores eorum.* Vbi Rapsaces, missus à Rege Assyriorum, obiicit Ezechiae Regi, quod non habeat homines, qui possent equos ascendere, eo quod nullus esset equarū usus apud Hebræos: Vel, vt interpretatur Hieronymus, quod Hebræi non auderent ascendere equos, propter legem Dei, quæ id prohibeat. Tertiò, ex illo, tertio Regum decimo, versu 28. *Educebantur equi Salomonis de Ægypto:* quia scilicet in Iudea non erant equi, sed aliunde habebantur; vt notat Hieronymus priori loco citato. *Salomon, inquit, non habebat equum de Hierusalem aut de Iudea, sed emebat sibi de Ægypto.*

4. His non obstantibus, dicendum est, in Deuteronomio non fuisse Regi absolute prohibitum usum equorum, sed excessum & abusum. Hoc enim significat illud: *Non multiplicabit sibi equos.* Excessus

Ee 4 autem,

autem, seu multiplicatio equorum fuit illi prohibita, triplici de causa. Primo, ne tempore belli consideret in multitudine & robore equorum, contra illud Psal. 32. 17. *Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis sua non salutabitur.* Et illud Isaiae 31. vers. 1. *Vae qui descendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis sperantes.* Secundo, ne erigeretur in superbia ex nimio equorum fastu ac pompa. Tertio, ne ad alendos tot equos, & ad pompam sustinendam, imponeret subditis grauia onera ac tributa. Contra hanc prohibitionem peccauit Salomon, qui alebat mille quadringentos currus, & duodecim millia equitum. 3. Regum 10. vers. 26. Et ad eos alendos, onerabat subditos, vt ipi postea apud filium ipsius Roboam conquesti sunt 3. Regum 12. 4. *Pater tuus durissimum iugum impo-suit nobis.*

5. Ad contraria argumenta sic respondeo. Ad 1. Falsum est, Reges habuisse tantum mulas, & non equos. Nam Dauid, cum in bello superasset Adarezer Regem Saba, & cepisset equos & quadrigas ipsius, quosdam ex illis sibi referuavit, iuxta illud 1. Paralipomenon 18. versu 4. *Cepit ergo David mille quadrigas eius, & septem milia equitum, subneruauitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reservauit sibi.* Ex quo facto Dauidis duo colligimus. Vnum, quod Regibus Hebreorum licuerit habere aliquos equos; alioqui peccasset Dauid, aliquos sibi reseruando. Alterum, quod non licuerit illis habere nimis multos; & ideo plerosque subneruauit, iuxta mandatum Dei, quod Iosue datum esse diximus.

6. Ad 2. Illa testimonia nihil aliud probant, quam

quam quod Hebrei, tempore belli, non debuerint fiduciam ponere in multitudine equorum & currum, sicut faciebant Aegyptij & alij gentiles; sed potius in virtute & protectione Dei. Hoc enim disertè significatur illis verbis: *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini.* Et similiiter illis: *Va qui descendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multi sunt: & super equitibus, quia preualidi nimis: & non sunt confisi super sanctum Israël, & Dominum non requisiuerunt.*

7. Ad 3. Eodem sensu, quo Regi prohibitum fuit, multiplicare equos; fuit etiam prohibitum aliis Hebreis. Nam neque illi debebant tempore belli confidere in equis, sed in Deo. Atque hinc factum est, vt rarus fuerit usus equorum apud Hebreos, ante tempora Salomonis: quia ad agriculturam, vel ad onera portanda vtebantur alinis & aliis iumentis. Salomon introduxit copiam equorum, ad luxum & splendorem. Ioram & alij Reges, ad usum belli. 2. Paralip. 21. versu 9. *Cumque transisset Ioram cum Principibus suis, & cuncto equitatu, qui erat secum, &c. Reliqua, quæ obiecta sunt, ex dictis facile diluuntur.* Illud solum, quod Raplaces obiecit Ezechiae: *Dabo tibi duo milia equorum, nec poteris ex te prabere ascensores eorum;* indiger explicatione. Sensus est: Vis tu resistere Regi meo potentissimo, cum habeas tam paucos & imbellles tecum homines, vt ex iis non sint bis mille, qui possint equos ascendere & pugnare? In quo errauit Raplaces.

## QVÆSTIO XII.

*An Reges Hebreorum potuerint habere magnas diuitias?*

1. **H**oc etiam videtur prohibitum Deuter. 17. verfu 17. Nam sicut ibi dicitur : *Non multiplicabu sibi equos.* Et rursum: *Non habebit vxores plurimas:* ita etiam additur: *Neque auri & argenti immensa pondera.* Sed facilis est responsio. Sicut enim non prohibetur usus vxorum aut equorum; ita nec usus auri & argenti. Et è contrario: Sicut prohibetur excessus & abusus vxorum & equorum; ita etiam excessus & abusus diuitiarum. Et quidem triplici titulo. 1. Ne Reges , cupiditate auri & argenti, incidant in peccatum auaritiae. 2. Ne ex eadem cupiditate spolient suos subditos. 3. Ne , si habeant copiam auri & argenti, in fastum & luxuriam diffluant. Quæ omnia contigerunt Salomon. Is enim, primò quidem, ex cupiditate factus est auarus, vt ipse confitetur Ecclesiastæ 2. verlu 8. *Coaceruauit mihi argentum & aurum, & substantias Regum ac Prouinciarum.* Deinde, spoliauit suos subditos, exigendo immodica tributa & vectigalia, vt supra ostēsum est ex quærela ipsorum subditorum. Tertiò, in libidinem ac luxuriam prolapsus est , accipiendo septingentas uxores & trecentas concubinas.

2. **Q**uæres, An igitur Reges & Principes non debeant habere fiscum, in quo recondant aurum & argentum ? Respondeo. Debent habere, quantum necesse est ad conseruationem iustitiae, & defensio

*De Regibus veteris Testamenti.* 423

fensionem patriæ. Sed non debet esse immodus. Quod eleganter expressit Traianus Imperator, cùm dixit, fiscum suū esse licenm. Sicut enim crescente & intumescente liene, cæteri artus & membra tabescunt ; ita crescente & intumescente fisco, signum est, subditos exhausti & spoliari. Nota: Duplex vitium caudendum est. Vnum , ne Reges & Principes omnia consumant, vel in priuata commoda & luxum conferendo, vel in aulicos & consiliarios dissipando. Alterum, ne auaritia dediti , iniquè exhaustiant subditos , & accumulent thesauros sine modo & mensura. Vtrum quereprehensione dignum.

## QVÆSTIO XIII.

*Qui & quales fuerint Consiliarij Regum Hebreorum?*

1. **P**rimò certum est ex Scriptura. Reges gentiles habuisse apud se viros sapientes , ex quorum consilio agerent omnia, quæ alicuius essent momenti; vt constat de Assuero Rege Persarum, de quo legimus Esther 1.13. *Rex interrogavit sapientes, qui ex more Regio semper ei aderant, & eorum faciebat cuncta consilio, scientiū leges ac iura maiorum.*

2. Secundò certum est Reges Hebreorum, de quibus nunc agimus, habuisse etiam suos Consiliarios , vt nominatim constat de Dauide , Salomone , Roboam , Ochozia, Ioa, Ozia. Dauidis Consiliarij fuerunt hi duo potissimum , Achitophel , & Chusai Arachites. 2. Regum 15. 12. & cap.16.v.16. Achitophel postea defecit à Dauide ,

&amp;

& adhæsit filio eius Absaloni. Fuit autem vir prudensissimus, cui Scriptura dat hoc testimonium: *Consilium Achitophel, quod dabant in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum David, & cum esset cum Absalon.* (cap. 16. v. 21.) Tandem, cum videret consilium suum, quod dederat Absalon contra Dauidem, negligi & consilio Chusai postponi, laqueo se suspendit. capite 17. versu 23. Porro Achitophel videns, quod non fuisse factum consilium suum, struit asinum suum, surrexitque & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam: & disposita domo suo, suspensus interiit.

3. Chusai mansit fidelis Dauidi. Et ut magis illi prodeisset, accessit Absalonem, & simulauit se illi fideliter seruiturum, sicut antea fideliter seruierat Dauidi patri ipsius. (cap. 16. 18.) Idque propterea fecit. 1. Ut coram intelligeret, quid Absalon, ex consilio Achitophelis, moliretur contra Dauidem. 2. Ut hoc ipsum consilium suo consilio dissiparet. 3. Ut Dauidem de his omnibus certiorem faceret. Quæ tria ex animi sententia successerunt. capite 17. per totum. An autem Chusai, hac sua simulatione, mentitus sit, disputant Interpretes. Serarius putat, ab officioso mendacio excusari eum non posse. Quod probabile est. Et colligitur ex his ipsis verbis, quæ dixit Absalon: *Illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & universus Israël, & cum eo manabo.* Sed, ut & hoc inferam, cui seruiturus sum? Nonne filio Regis? Sicut parui patri tuo, ita parebo & tibi. Priora prudenter, posteriora mendaciter dicta sunt.

4. Consiliarij Salomonis, post mortem ipsius facti

facti sunt cōsiliarij Roboami, filij Salomonis. Habuit autem Roboam duplices consiliarios: alios senes & expertos, quos acceperat à patre suo: alios iuuenes & inexpertos, qui cum ipso fuerant enutriti. (3. Regum 12. 6.) Priores dabant illi sanum consilium; posteriores perniciosum: Hos secutus est Roboam; ideoque & stulte fecit, & maiorem regni sui partem amisit. Quo spectat illud Ecclesiastici 47. versu 26. *Finem habuit Salomon, cum patribus suis: Et dereliquit post se, descendine suo, genitum stultitiam, & imminutum à prudenti i. Roboam, qui auertit gentem consilio suo,* id est, consilio iuuenum, quod ipse approbauit.

5. Ochozias seductus ab Athalia matre sua, vsus est consiliariis ex domo impiissimi Achabi, qui erat pater Athaliae. De quo secundo Paralipomenon, vigesimo secundo, versu quarto: *Fecit Ochozias malum in conspectu Domini, sicut dominus Achab.* Ipsi enim fuerunt ei consiliarii post mortem patris sui, in iheritum eius. Ambulauitque in consiliis eorum. Et perrexit cum Ioram filio Achab, Rege Israël, in bellum contra Hazael Regem Syria. Euentus consilij & belli fuit malus, ut ibidem patet. Et hoc insinuat illa particula, *In iheritum eius.*

6. Ioas, initio regni, habuit optimum consiliorium, Ioiadam Pontificem. Et optimè se geslit, quamdiu illius consilio vsus est: pessimè, quando mortuo Pontifice, consilio Principum aulicorum acquieuit. 4. Regum 12. 2. *Fecit Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada Sacerdos.* Et 2. Paralipomenon 24. 17. *Postquam autem obiit Ioiada, ingressi sunt Principes Iuda & adorauerunt Regem, qui delinitus obsequis eorum, acquieuit eis.* Et dere

dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, seruieruntque lucis & sculpitibus, & facta est ira contra Iudam & Ierusalem, propter hoc peccatum.

7. Ozias multa praeclarè gessit ex consilio & directione Zachariæ Videntis. Sic enim de illo legimus 2. Paralipomenon 26. 5. *Exquisuit Dominum in diebus Zacharia intelligentis & videntis Deum: Cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus.* Iste Zacharias (vt notant Lyranus, Dionysius, Caietanus) puratur fuisse filius Zachariæ Pontificis, occisi à Rege Ioa; & consequenter nepos Ioiadae Pontificis, de quo iam dictum est. Itaque per illum, tanquam Prophetam, Ozias Rex requirebat, id est, consulēbat Deum, & per illum à Deo in suis actionibus dirigebatur.

8. Nota. Ioiada Pontifex, & Zacharias Videns, quorum alter fuit consiliarius Ioa, alter Oziæ, debent dupliciter spectari. 1. quatenus erant viri boni & prudentes. 2. quatenus alter erat Pontifex, alter Propheta. Vtroque modo poterant dare consilium. Priori quidem, ex prudentia humana. Posteriori verò, ex oraculo seu responso Dei. Nam Pontifices solebant coram Propitiatorio consulere Deum, & ab eo responsa accipere Similiter Prophetæ, vel per internam locutionem, vel per visiones, vel per alia signa docebantur à Deo de futuris rerum eventibus. Hic posterior modus erat certior priori. Et in eo Pontifices & Prophetæ superabant alios consiliarios, qui solum ex solertia & prudentia humana dabant consilium, & ideo poterant errare. Vnde Dauid, Iosaphat, & quidam alij Reges, vt essent tutiores in conscientia, soliti erant in rebus maioris momenti consulere Pontifices

fices aut Prophetas, vt cap. 7. quæst. 4. §. 5. & sequentibus, & cap. 8. explicatum est.

9. Nota 2. Ioa & Oziæ, quod attinet ad præsens institutum, in duobus fuere similes. 1. Quia ambo benè se gesserunt initio regni, eo quod ambo haberent bonos consiliarios ac directores: Ioa quidem Ioiadam Pontificem; Oziæ verò Zachariam Videntem. 2. Ambo postea, mortuis illis consiliariis, degenerarunt. Nam Ioa, mortuo Ioiada Pontifice, cœcessit publicum idolatriæ exercitium: Et Oziæ, mortuo Zacharia Vidente, temerè usurpauit sibi officium sacerdotale. Ex quo manifestè apparet, salutē Regum ac Principum, magna ex parte, pendere à consiliariis. Qui si tales sint, quales esse necesse est, benè agitur: secus, si tales non sint. Quod etiam ostendunt alia exempla iam allata. Quales autem esse debeant, dicam seq. quæst. §. 4.

#### Q V A E S T I O XIV,

*Quid Christiani Reges ac Principes discere debeant ex iis, qua hoc capite dicta sunt?*

1. **M**ulta sanè. Et hæc quidem generatim. Primo, vt sint viri boni. Vel, vt faciant, quod rectum est in conspectu Dei, sicut fecit Dauid, Asa, Iosaphat, Ioathan, Ezechias, Iosias. Non possunt autem esse viri boni, nisi sint Catholici, nisi coniuncti cum Deo, nisi iustitiae amantes. Ut autem sint tales, postulat illorum dignitas & Tituli, quibus ornati sunt. Vocantur enim Dij, Exodi 22.8. & Psalm. 81.6. Vocantur Christi seu vngui Domini. 1. Regum 24.11. & Psalm. 104.15. & Isaiae 45.1. Vocantur

Vocantur serui, Ministri, Vicarij Dei. 2. Paralip. 6.15. & Rom. 13.4. Vocantur lucernæ populorum, 2. Regum 21.17. Nutritij Ecclesiæ. Isaæ 49. versu 23. Hi tituli, ut verisint, requirunt magnam sanctitatem.

Secundò: Ut non solum sint boni, sed etiam zelosi in Catholica fide & religione: neque patiantur in suis regnis & prouinciis ullam aliam fidem, quam Catholicam doceri & exerceri. Non sint similis illis, de quibus dictum est: *Fecu bonum in conspectu Domini: Veruntamen excelsa non abstulit. Adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis.*

3. Tertiò, ut non contrahant matrimonia, vel affinitates, vel amicitiam, vel societatem belli cum infidelibus. In quo genere peccarūt, & puniti sunt, tum alij, tum Salomon, Ioram, Iosaphat. Nam Salomon contraxit matrimonium cum filia Regis Ægypti, quæ erat idololatrica, Ioram cum Athalia, filia Regis Israël, quæ similiter erat idololatrica. Vterque male, & malo euentu. Iosaphat, tametsi alias bonus, iniit societatem belli cum impio Achabo, & negotiationis cum Ochozia filio Achabi. Propterea dictum est illi: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris: Et idcirco iram quidem Domini merebaris; sed bona opera inuenta sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, & preparaueris cor tuum, ut requireres Dominum Deum patrum tuorum.* 2. Paralipomenon 19. 2. Et iterū: *Quia habuisti foedus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, coniunctaque sunt naues, nec potuerūt ire in Tuaris.* ibidem cap. 20. v. 37. Audiant hoc Christiani Principes. Si volunt vxores ducere, amicitias contrahere,

contrahere, belli aut nauigationis societatem initre, abstineant à consortio Turcarum & aliorum infidelium. Alioqui dicetur ipsis, quod pio Iosaphat dictum est: *Quia habuisti foedus cum infidelibus, percussit Deus opera vestra: contritæ sunt naues vestræ: amissa victoria: thesauri consumpti: subditi ad egestatem redacti: familiæ extinctæ.* Non desunt exempla, quibus id confirmem. Sed quia nota & recentia, malim præterire.

4. Quartò, Ut habeant apud se bonos Consiliarios: Non iuuenes, imperitos, inexpertos, sicut habuit Roboam: non idololatras aut hæreticos, sicut habuit Ochozias: non perfidos & infideles, qualis fuit Achitophel: Sed qui sincerè Catholici sint; qui periti, prudentes, experti, cordati; qui immines ab avaritia & adulatione; qui liberi à passionibus & inordinatis affectibus; qui pacis, iustitiae, patriæ amantes; qui religionis & Ecclesiæ patroni. Denique, quibus unicus scopus sit, ubique Dei honorem & bonum publicum promouere. Procul verò facessant, & ab omnibus Regum ac Principum aulis arceantur illi, qui palam quidem suam operam addicunt Principi Catholico, & ordinarium stipendum ab eo percipiunt, sed occulta conspiratione de duplicato vel triplicato pacifiscuntur cum alio Principe hæretico aut infideli, ea conditione, ut quidquid apud Catholicos in secreto consilio decisum est, ei integrè aperiant, & de omnibus certiorem faciant. Non Consiliarij isti, sed proditores sunt. Et tamen non paucos esse, fama est.

5. Et hæc quidem communia sunt, quæ discant Reges ac Principes Christiani. Speciatim

verò ista imitentur. Primò Dauid in rebus magni momenti consulebat Deum. 1. Asa matrem suam, quæ erat Princeps in sanctis Priapi, amouit ab officio, malens illam offendere, quàm Deum. 3. Iosaphat misit Leuitas & Sacerdotes, vt in omnibus civitatibus docerent populum legem Dei. 4. Ioas curauit instaurari templum Domini. 5. Amasias, collecto duplice exercitu contra Idumæos, altero ex populo Iuda, altero ex populo Israël, monitus à Propheta, vt posteriorē tanquam hæreticum dimitteret; mox obtemperauit, & victoriā obtinuit. Quam non obtinuisset, si vtroque exercitu pugnasset. 6. Ozias, in omnem euentum maturè prospexit regno suo de firmis munitionibus, & omni belli apparatu. Ideoque terrori erat vicinis hostibus. 7. Ezechias reformauit cultum Dei, & in quavis occurrente necessitate ad Deum confugiebat. 8. Iosias populum adiurauit, vt inito cum Deo fœdere, promitteret se seruaturum legem à Deo datam.

6. Hæc caueant. Primò Saul amisit regnum, quia non obediuit Deo & Samueli. 2. Dauid, tempore pacis & prosperitatis, in adulterium lapsus est. 3. Salomon, Regum sapientissimus, per mulieres depravatus, & idololatria factus. 4. Roboā, quia relicto seniorum consilio, securus est confilium imperitorum iuuenum, qui præter delicias aulicas, nihil nouerant, maiori parte sui regni spoliatus est. 5. Asa, cæteroqui bonus, cùm laboraret podagra, magis in Medicorum arte, quàm in Dei ope confidebat. Quod in illo reprehensum est. 6. Ioram, cùm antea esset Catholicus, & Catholico natus parente, accepit vxorem hæreticam, & in

gra

gratiam illius hæreticus factus est. Sed non impunè. Nam insanabili dolore alii per biennium cruciatus, tandem egestis visceribus, miserè periit. 7. Ochozias patti similis, à matre in hæresiu pertractus est, & in pœnam defectionis, à Iehu Rege Israël interfactus. 8. Ioas, Rex Catholicus, mortuo Ioiada Pontifice, à quo dirigebatur, concessit publicum exercitium falsæ religionis in gratiam Nobilium aulicorum. Et postea à setuis suis interfactus est. 9. Amasias, propter eandem culpm, à ciuibus trucidatus. 10. Ozias, ob usurpatum temerè officium sacerdotale, lepra percussus. 11. Achaz propter cultum impiae religionis, sàpè bello oppressus. 12. Manasses, quia restituit idololatriam, quam pater eius exterminauerat, catenis vincitus, & in captivitatem abductus. 13. Amon, simili de causa, in propria domo à suis subditis iugulatus. 14. Sèdecias, quia non seruauit fidem Nabuchodonosori datum, effossis oculis, in Babylonem ductus. Denique, vt alia omittam, Ieroboam, primus Rex Israël, vt regnum suum confirmaret, subditos abstraxit à vera religione, vt hoc modo, vera religione destitutos, facilius contineret in rebellione, ne ad legitimū sūm Regem, à quo defecerant, reuerterentur. Nam sicut Catholica religio aptissima est, vt subditos efficiat pios, & Magistrati suo obtemperantes: ita hæresis ad rebelliones & defectiones concitandas efficacissima. Res nota, & multis exemplis, tum hoc tempore, tum superiori sæculo confirmata

CAP V T

F 2